



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117840

§. 44. Epistola Pauli Constantinopolitani ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

Sæculum VII Asceticæ rudimenta posuerit. Ut Re-
 A.C. 647. gibus competens reverentia exhibeatur,
 c. 6. & Metropolita habeat solatium, Episco-
 pi ab urbe Toletana non longe remoti
 singulis annis per unum mensem ibi mo-
 rabuntur, si rogati fuerint, ut veniant.
 Hæc sunt Concilii septimi Toletani De-
 creta.

§. XLIV.

*Epistola Pauli Constantinopolitani ad
Papam.*

Cum Paulum Patriarcham Constanti-
 nopolitanum tum Epistolæ Episco-
 porum Africæ, tum Serici & Martini
 Theodori Papæ Legatorum exhortatio-
 nes admodum premerent, nam vehe-
 mentissime instabant, ut explicaret, in
 quo sensu diceret, in Jesu Christo uni-
 cam esse voluntatem, tandem data ad
 Papam Epistola dogmatica, in exordio
 jactabat se Charitatem semper conser-
 vare, atque injurias illatas & inimico-
 rum calumnias patienti animo tolerare;
 ita de Catholicorum hortatu, quem bo-
 ni consulere debuisset, loqui audet, &
 eodem prætextu ad excusandum silen-
 tium suum utitur. Deinde luculentius
 mentem suam aperit, nomine omnium
 Ecclesiarum sibi subjectarum Fidem suam
 de Incarnatione profitetur, & in fine
 addit: *Itaque credimus, in Jesu Christo
 unicam*

*Conc. Later.
 Secr. 4. p.
 222.*

p. 226.

unicam esse *Voluntatem, ne Personæ ejus, Sæculum VII*
quæ una est, contrarietatem, aut Vo- A. C. 647.
luntatum diversitatem tribuamus, aut
doceamus ipsum a se ipso oppugnari, &
duas Personas invehamus. Ideo tamen
nolumus duas ejus Naturas delere aut con-
fundere, nec unam suppressâ altera as-
serere, sed hoc solum dicimus, Carnem e-
jus Anima rationali præditam, & Do-
nis Divinis ob arctissimam conjunctio-
nem exornatam, unam habuisse Volun-
tatem Divinam, () & inseparabilem*
a Voluntate Verbi, a quo simpliciter
vegebatur & movebatur, ita ut Caro
nunquam motum Naturalem separatim
& proprio impulsu contra Verbi impe-
rium habuerit, sed tantum quando, ea-
tenus, & quo modo, Verbum impera-
bat. Absit enim, ut proferamus hor-
rendam illam blasphemiam; Jesu Chri- *Matt. 16. 23.*
sti Humanitatem Naturæ necessitate fuis-
se coactam, & eandem ac S. Petrum re-
*prehensionem (***) fuisse meritam, dum cum*

H 5

S. Pe-

(*) Ex his verbis non tantum Hæresis emi-
 cat, sed etiam curtam in Philosophia supelle-
 ctilem suam prodidit hic Paulus; si enim Caro
 Christi, id est, Humana Natura unicam Volun-
 tatem Divinam habuit, Christus Voluntate Hu-
 mana caruit, & Homo non fuit.

(**) Qui conversus dixit Petro: *Vade post*
me Satana! scandalum es mihi, quia non sa-
pis

Sæculum VII S. Petro Passionem rejecit. In hoc Jenu
 A.C. 647. accipimus illa Evangelii verba. De-
 scendi de Cælo, non ut faciam Volun-
 tatem meam sed Voluntatem ejus, qui
 misit me, & detrectationem patiendi.
 Non admittimus in JEsu Christo, qui
 unus est, Voluntates diversas, & sibi
 oppositas, sed accipimus hæc Verba ne-
 gative, (*) & credimus, JEsu Chri-
 stum simpliciter dicere, quid non habeat,
 sicut in illo textu: neque peccatum meum
 neque iniquitas, Domine! Paulus S. Gre-
 gorium Nazianzenum, S. Athanasium, &
 S. Cyrillum, tanquam hujus Sententiæ
 Defensores nominat. Affirmat, omnes
 Patres unam in Christo Voluntatem do-
 cuisse, & subjungit: Hæc etiam Senten-
 tia erat Sergii & Honorii, quorum al-
 ter Novæ alter Antiquæ Romæ Episco-
 pus fuit.

§. XLV.

Typus Imperatoris Constantii.

Paulus Patriarcha hac Fidei explicatio-
 ne nec Papæ nec Episcopis Occiden-
 tis,

pis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.
 Matth. 16. v. 23.

(*) Pater mi! si possibile est, transeat a me
 Calix iste. Verumtamen non sicut ego volo,
 sed sicut tu. Matth. 26. v. 39. Profecto, hæc sa-
 tis argute iste Paulus!